


30


BIBLIOTEKA


Zakl. Nar. Im. Ossolińskich


XVII

1.752

The image shows the front cover of an antique book. The cover is decorated with a traditional marbled paper pattern, often called a 'stone' or 'shell' pattern, featuring irregular, organic shapes in various shades of brown, tan, and cream. The spine of the book, visible on the left, is bound in a plain, textured brown cloth. A small, rectangular, cream-colored paper label is affixed to the upper left corner of the cover. The label contains the following text: 'BIBLIOTEKA' at the top, 'Zakl. Nar. Im. Ossolińskich' below it, and the numbers 'XVII' and '1.752' on the bottom line, separated by a small space. A small, handwritten number '30' is visible at the very top edge of the book, above the label.







1620
66

QVÆSTIO THEOLOGICA

DE SATISFACTIONE CHRISTI.

A
M. ADAMO OPATOVIO S. THEOL. Profess.
Decano S. Annæ, publicè ad disputandum
proposita.

Auspiciis & permissu

Admod. R. & Magn. D. SEBASTIANI KRVPKA,
I. V. Doct. Can. Crac. Rectoris Vniuersitatis.

ET

Admodum Rñdi D. BASILII GOLINII, S. Th.
Doctoris, Canonici Cracouieñ. & in hac dispu-
tatione præfidentis.

Disputabitur in Lectorio DD. Theologorum
3. Non. Febr. Hora xv.



CRACOVIAE,

in Offic. Matth. Andreouiensis, Anno D. 1620.



Quæstio Theologica.

DE SATISFACTIONE CHRISTI.

AN CHRISTVS, per incarnationē conuenienter & necessario factam, pro peccatis hominū originali & actuali mortali: quæ grauitatem infinitam habuerunt & nullius puri hominis satisfactione expari potuerunt, ex toto rigore iustitiæ satisfecerit. necne?

CONCLUSIO I.

VNio ineffabilis diuinæ & humanę naturæ in subsistentiâ verbi facta, includit in se cōuenientiam, per quam accommodatam ipsi DEO.

Corollaria.

Primum. Non est possibile, vt idem CHRISTVS sit Deus & homo, quin aliqua vnio inter diuinam & humanam naturam intercedat.

Secundum. Ad hanc vnionem admirabilē, cū requirantur extrema, eademque quamuis in infinitum sint inter se distantia, nullam tamen aut impossibilitatem

sibilitatem, aut inconuenientiam coniunctionis importare confitemur.

Tertium. Mysterium incarnationis, quamuis in Deo nullam ponat commoditatem aut perfectionē, bonitati tamen Diuinæ fuit conueniens.

Quartum. Per hanc vnionem hypostaticā, quamuis Filius Dei, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo, nulla tamen mutatio in verbo Dei facta, sed solū in naturā humanā, quæ est à verbo assumpta.

Quintum. Ex hac eadem vnione non modò in naturam humanam, sed etiam in reliquas creaturas summa dignitas redundauit.

Sextum. Falsò quidam Ethnici sunt opinati, Deum ita carni esse coniunctum, quasi illius limitibus coangustatus, à prouidentia vniuersi impediatur.

Conclusio II.

CHRISTUM incarnari, propter restaurandam naturam hominis lapsi, ideo necessarium fuit, quia hic modus optimus & conuenientissimus fuit.

Corollaria.

Primum. Incarnatio est medium necessarium, ad salutem

salutem hominum reparandam, non simpliciter, sed
suppositâ voluntate Diuina.

Secundum. Præter hunc ineffabilem modû, om-
nipotentia Dei potuit ex suâ misericordiâ alium re-
perire, eundemque acceptare.

Tertium. Opus incarnationis, ita est necessari-
um, vt libertatem Dei, illud operâti, non excludat.

Quartum. Verbum incarnatû, quoad suam om-
nipotentiam, non acquisiuit maiorem potestatem,
reparandi hominis simpliciter, sed solûm secundûm
quid, quoad talem modum efficiendi, nimirum per
viam satisfactionis.

Quintû. Vt iustitiæ diuinæ ex perfectâ iustitiâ sa-
tis fieret, unio hypostatica fuit simpliciter necessaria.

Sextum. Sancti Patres, quando Deo tribuunt hanc
necessitatem liberandi hominem, exponendi sunt
de necessitate, supposito decreto diuinæ volunta-
tis, non aliter liberandi hominem lapsum.

Conclusio III.

Peccatum originale, & actuale mortale, in
quatum est offensa DEI, & malum DEO
intentatum, habet grauitatē infinitam.

Corollaria.

Primum. Peccatum, vt est quoddam ens Physi-
cum,

cum, proueniens ab actione hominis debitâ rectitudine carente, non habet grauitatem infinitam.

Secundum. Peccatum vt est malum deordinans à bono rationis, non habet malitiam simpliciter infinitam, in genere moris.

Tertium. Peccatum secundùm quod habet eam malitiam, vt peccatorem auertat à bono infinito, sub eâ ratione habet grauitatem infinitam, sed non simpliciter nec intensiue, verùm extrinsecè & obiectiue, idq; in genere moris.

Quartum. Peccatum actuale mortale, constituendo finem vltimum in creatura, quodammodo secundùm affectum, tollit Deum, cui propter summam bonitatem conuenit, vt finis supremus omnium habeatur.

Quintum. Dato casu, quòd mundus in aeternũ duraret, & quòd propagatio ab Adam, in infinitos homines descenderet, peccatum originale extensiue esset infinitum.

Conclusio IV.

Satisfactio puri hominis, nequaquam valorem de condigno, & qui sit de rigore iustitiæ habere potest, & pro suis, & pro aliorum peccatis, etiam de absolutâ Dei potentiâ.

Corol-

Corollaria.

Primum. Valor satisfactionis ex personâ satisfaciēte, æquali personæ offensæ, sumendus est ita, vt dignitas personæ satisfaciētis redundet in valorem satisfactionis, vt ex eo satisfactio sit æqualis offensæ.

Secundum. Satisfactio de rigore iustitiæ, nõ debet inniti gratiæ creditoris, sed ex proprijs & nullo alio titulo debitis, procedat necesse est.

Tertium. Per purum hominem intelligimus, qui non sit Deus, & qui siue sit in puris naturalibus, siue in gratia Dei constitutus.

Quartum. Purus homo, destitutus auxilio gratiæ Diuinæ, sed solis viribus naturæ subnixus, nec ad perfectam æqualitatem, nec ad imperfectam, pro peccato proprio siue alieno satisfacere potest.

Quintum. Satisfactio puri hominis, sed in gratiâ & charitate existentis, potest de potentiâ Dei absolutâ ad imperfectam æqualitatem peruenire.

Conclusio V.

Christi satisfactio, & infiniti valoris fuit,
& ex toto rigore iustitiæ.

Corollaria.

Primum. Dignitas & valor actionum Christi,
non

non consistit absolutè in æstimatione, quandoquidem hæc supponit rei nobilitatem, quæ æstimatur, sed fundatur essentialiter, in ipsâ personali dignitate personæ verbi Dei, cui absolutè & simpliciter secundùm omne genus perfectionis, infinita dignitas conuenit; cæteræ autem res dignitatem hanc accipiunt, in certo genere operum, nimirum satisfactionis & meriti, quamuis eundem gradum infinitum dignitatis cum personâ habeant.

Secundum. Dignitas propriè conuenit personæ verbi, valor verò CHRISTI operibus, & alijs rebus, quæ possunt esse materia iustitiæ; Et hæc dignitas CHRISTI personalis dat valorē operibus seipsâ per modum formæ non intrinsecæ sed extrinsecæ.

Tertium. CHRISTI satisfactio fuit condigna & infiniti valoris, non ab extrinsecò, videlicet ex gratuitâ acceptione diuinâ, sed ab intrinsecò.

Quartum. Satisfactio CHRISTI, & ex parte rei oblata, & ex parte offerentis fuit infinita & satisfactoria.


Quintum. Satisfactio, per quam CHRISTVS Deo satisfecit, pertinet ad speciem iustitiæ commutatiuæ, quæ est regula, opera satisfactionis eliciens & dirigens.




Studioſo Lectori.

*Hac mea cum Theologiſſi diſſertatio, de Deo carnis
mortalitate induto, intelligo bene, quàm tibi arida, ſpi-
roſa, & recondita videatur. Sed ne vacuus, & pror-
ſus ſine fructu abeas, hanc orationem, quondam in ce-
lebritate Academicâ, de hoc ipſo beneficio habitam, &
ex acerbo funere quod tuncis curandum demandaue-
ram, reuocatam, tibi lubens trado. Vtere, vel ſaltem
preſentis tædij releuandi gratiâ, & boni conſule.*

6145
65





14,573

